



# Dissertatio medica inauguralis de saliva

<https://hdl.handle.net/1874/345780>

39.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE

# S A L I V A N,

*quam,*  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Autoritate Magnifici D. Rectoris,*

## D. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicorum Consensu, & Nobilissime  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS;  
Summisque in MEDICINA Honoribus, Prærogativis &  
Privilegiis, ritè & legitimè consequendis,

*Euriditorum Examini subjicit*

## HENRICUS CANTERS, ASTENSIS.

*Ad diem 23. DECEMBRIS, horis locoque solis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academice  
Typographi, clo Ioc xcii.

*Honoratissimo Spectatissimoque  
V I R O,*

**HENRICO CANTERS,**  
Dominii Astensis vigilantis-  
simo meritissimo , Parenti  
suo omni honoris filialisque  
amoris cultu in æternum de-  
venerando

*Hocce thema inaugurale in vera  
gratitudinis aeternaque observantie  
tesseram summā quā potuit cum  
reverentia*

*Sancte Dicat & Dedicat*

**HENRICUS CANTERS.**

*Auctor.*

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

S A L I V A

  
Uoniam ad rei aliquis essentiae inquisitionem,  
viriumque dilucidationem, primario & necessario  
conferat rei, de quâ agendum, cognitio; ut Sal-  
tem nos ita exiendo disputatione de nomine  
longas rixas inutilesque verborum ambages, eva-  
damus, sic merito hic præfari consultum duxi-  
mus? quid per Salivam intelligendum. Saliva  
itaque hic non sumitur quod Græcis πλυσμα di-  
ctum, id est sputum quod exscretione ejicitur ex-  
tra corpus tanquam excrementum inutile viscidum ac pitturosum: Sed per  
Salivam intelligimus quod Græci σπλόν vocant, sive illum humorem  
autopatetum dictum qui ex glandulis salivalibus per ductus Salivares ipsi con-  
tinguos majores minoresque, tanquam rotidem fonticulos in oris cavum se-  
exonerat, ad varios usus & functiones corporis nostri peragendas, nece-  
ssarius.

I I.

Ut enim mare est omnium aquarum erigo; ita ex sanguine tamquam  
fonte generali non solum Saliva? verum universi corporis nostri humo-  
res natales trahunt: hic sanguis per arterias carotides ex arteria magnâ  
propullulantes devehitur ad glandulas Salivales circa aures & maxillas exi-  
stentes: quam genitam & ex sanguine in dictis jam glandulis secretam  
Salivam, vasa excretoria ductus scilicet Salivales in oris cavitatem depor-  
tant. Præter harum glandularum ut & salivalium ductum quatuor pa-  
ria (solerti recentissimorum anatomicorum industria detecta) quibus  
nonum fontem Salivalem addit clarissimus Nuckius in suâ sialographiâ,  
constat præterea tota oris nostri cavitas glandulosâ quâdam tunica, ex  
quâ innumerí exiles tamen prodeunt ductus, qui ipsam tunicam perfo-  
rantes, cribrum quasi formant, unde continuo itidem exstillat & exspi-  
rat

DISSE

TATI

M

E

D

I

rat humor *Salive* nomine veniens, omnesque oris partes internas hume-  
rantes atque irrigant.

III.

Hinc famosa sane & celebris fluit. Quæstio? quomodo scilicet in glandulis hæc Salivæ ex sanguine secretio peragatur. Quidam enim so-  
lum a particularum ac pororum glandularium figurazione certâ hanc *Salivæ* ex sanguine generationem dependere, audacter affirmant. Sic in-  
quiunt aqua transit per poros corii, non autem aëris: sic mercurius auri  
porositatem ingreditur, minime vero aqua: quia respondent hi poruli  
hujus figuraionis, alii alterius generis & dispositionis particulas susci-  
pere nati sunt: Sed quam graviter horum sententia ægrotet, virorum  
doctorum veritatisque amantium judiciis relinquam.

V.

Fatetur requiri quidem aliqualem particularum respectu pororum fi-  
gurationem, ut unum corpus possit percolare & transgredi per aliud,  
hoc tamen dixero ex tali transitu non semper fieri corporis transeuntis  
mutationem, nam farina per cribrum transmissa, manet farina: si co-  
leum per corii poros permeans, manet oleum: sed sanguis per glandu-  
las salivales transiens mutatur colore, odore, sapore, consistentia &  
naturâ: statuo igitur & merito præter simplicem transitum; fieri magnam  
mutationem, particularumque quarundam conjunctionem aut disjun-  
ctionem aliquam plane modificationem, & hanc mutationem non nisi  
in fermento peculiari inveniendam arbitror: eodem fere modo quo vi-  
demus cervisiam per fermentum ita mutari, ut vim inebriandi  
acquirat, quam vim ante ejus fermentationem non experimur, ad  
plures quamvis sorberemus cantharos.

V.

Verum vero in assignando ac determinando hoc fermento adeo idoneo  
ad sanguini mutationem inducendam, salivamque ex eo secernendam  
aptissimo, quamvis hæreat nobis omnibus aqua? nihilominus tamen ut  
in re adeo obscurâ aliquid dixisse videar, affirmare audacter audebo &  
succi nervosi ipsarumque glandularum habendam esse rationem, quæ duo  
ad hanc actionem omnino ita concurrunt & conserunt, ut sine illis nus-  
quam possit saliva generari, quem opinionem paucis saltet confirmabo,  
omnia enim recensere otii penuria retardat. Sic primo quia plures ferun-  
tur nervi ad glandulas Salivales, quam ad motum & sensationem requi-  
runtur, ergo ut spirituum animalium copia ad illas devehatur: iam ve-  
ro hæc spirituum copia sanguinem celerrime propellit per arctissimas gian-  
dula.

dularum fibras, tertio salivalis sanguis tunc imbuitur spirituositate unde aliter disponitur ac afficitur. quarto spiritus ille dum commiscetur sanguini effervescentiam quasi aut fermehtationem excitabit, unde particula- rum quarumdem conjunctio aut disjunctio, sicque sanguinis minima naturalia disponuntur ac in alia Salivam formantia concrescunt ac degenerant: non tamen ideo putandum omnes totius corporis nostri humores esse ejusdem naturæ, conditionis & qualitatis, licet eodem fermento illa mutatio & fermentatio, fieret; quia idem fermentum diversis commixtum liquoribus, diversam quoque rebus instituet alterationem & mutationem. Quinto spiritus animalis glandulas ingressus illarum fibras diversi- mode movet & inflectit, unde non mediocris iterum mutatio ortum du- cere valuit. Sed audio huic meæ sententiæ opponentes, quod scilicet disiectis nervis adeoque sine spiritibus animalibus adhuc fiat secretio: ve- rum huic & similibus argumentis (ut pote brevitatem affectans) non scriptis sed verbis inter disputandum erimus satisfacti.

## V I.

Ad glandulas vero quod spectat, illarum structuram considerandam velim, quatenus etiam conferant ad humoris nostri generationem: glan- dulae enim non sunt nisi fibra minutissima inter se valde & arête convoluta: in quas cum tota sanguinis massa substantiâ suâ ingredi nequeat, pene- trat tantum illa quaæ ad salivam constituendam a spiritibus animalibus aperte redditur: & quod glandularum structuræ habenda sit ratio, probat herbarum diversitas in eodem agro crescentium & eâdem aquâ irrigata- rum, quaæ tamen herbæ diversos edunt effectus, ut in Salvia, endivia, plantagine, maluâ, &c. attendenti patet: sed claret hoc magis in pomo citri cuius flavedo seu cortex exterior constat sale volatili & oleoso, inte- rior albicans & fungosa est, internus succus aciditate gaudet & forsitan in diversis cellulis diversa: semen oleosum ac mucilaginosum a recensitis dif- fert attributis: qui succi per unum pedunculum ingredientes diversam in- diversis locis & partibus tamquam glandulis subeunt mutationem: quod idem de sanguine asserendum judico. Plura lubens fateor in re tam in- tricata ulteriorique evocatione digna occurruunt, sed ne limites differ- entiationis transgrederer, & a viâ conceptâque materiâ longius aberra- rem, gradum figo, discursumque refeco: clariora tamen magisque elu- cidata quisquis exoptat, audeat dissertationem de sanguinis purificatione humorumque secretione naturali Viri Clarissimi, Nobilissimi & ex- perientissimi Dn. Friderici Godefridi Barbeck Philos. & Med. Docto- ris Professoris mei longe celeberrimi ad ultimum usque respiratio- nis

## 6 D I S S E R T A T I O M E D I C A

nis terminum omni honore debitâque observantiâ venerandi ac respectandi.

**V I I.** Hisce præmissis ulterius vela ventis exponemus, & *Saliva* virium seu

effectuum dilucidationem (quâ fieri possit evidentiâ) attingamus, quod ut feliciori tamen fiat Sydere, humoris nostri principia minimaque ejus naturalia examinare nunc allaborandum venit. *Saliva* itaque præprimis copiosa satis gaudet aquæ quantitate, ut pote colore & consistentiâ unicuique sanæ mentis ac maturi judicij palpabile est. Inhabitant ac latissim Subaquosis particulae acidæ, gustu licet minus cognoscibiles ab efficiet tamen probabiles, sic saliva in lac injecta lactis coagulationem instigavit, particulasque butyrosas ac caseosas a serosis secertere facit; non secus ac si humor acidus in lac instillaretur; materiam viscidam & pituitosam salivæ inharentem nos docet Chymia fidelis rerum naturæ magistra, saliva scilicet destillanda destillationis initio in bullas abit, quæ non nisi viscidam atenacem adesse indicant materiam: ignem ubi fortius urgemus humidumque magis evaporamus hærentem experiemur in fundo retortæ præter particulas crassas materiam acrem acrimoniâ suâ linguam nostram ferientem, adeoque salis nomine compellandam; hinc *Saliva* ad lapides politos projecta eos maculis tingit, aquâ fortis ac si tinti fuissent. Et quis de ejus subtilitate aut volatilitate assensum suspendere audebit, ut pote notissima ex vi quâ pollet deobstruendi, tumores pertinaces resoluendi, dolores sedandi &c. sic sape gravissimi arthritidis insultus ex inunctione salivæ jeuni hominis leniuntur ac depelluntur.

**V I I I.**

*Saliva* igitur non simplex, verum ex iam recensitis diversi generis particulis conflata efficit & constituit blandissimum temperatissimum tamen atque corpori nostro amicissimum humorem, qui propter particularum debite inter se conjunctarum varietatem ac multitudinem sese facilime & absque omni repugnatiâ permiscet omnis generis liquoribus atque alimentis, ut viscidis, oleosis, crassis, siccis &c. adeoque non irrationaliter universale menstruum statuatur: quandoque tamen facilius, ceteris & aptius cum his vel ipsis alimentis commiscetur, sed hoc propter alias contingit rationes, de quibus agere hic locus non est.

**I X.**

Non immerito nec absque ratione, majoris nimirum evidentiæ gratiâ præmonendum duxi, memorata modo minima liquoris nostri natura in statu naturali semper habete locum, quo distinguamus ab illa Salivæ

væ dispositione in statu præter naturali dominium possidente, ut sëpe numero jam salsam jam magis amaram illam comperiamus, quæ amaritudo aut salsedo si non ab halitibus talibus ex intestinis & stomacho in os ascendentibus illamque insufficientibus, saltem sanguinis temperamentum ad justitiam dictum, sublatum indicant: sic aliquoties Salivalem nostrum humorem in calcem concreuisse variae testantur historie, sed ab his casibus ut non naturalibus & præternaturalibus gressus avocemus & ad naturalis ac optime sanis præsentis salivæ utilitates explicandas transgrediamur.

## X.

Quid vero præstet sanitatis continuationi, quamve utilitatem & commodum prænobilis noster liquor corporis humani æconomiae conservanda procreat nunc discutiendum. *Saliva* præprimis non tantum oris cavitatem irrigando, æsophagumque inungendo ac pro alimentorum transitu lubricum reddendo unice ac primario inservit verum vero deglutitionem seu motum partium oris internarum continuat & partim efficit, gustusque sensum ex hac inunctione ac madore resultare monet Malpighius: irrorat præterea & humectat cibos quoсumque assumptos, primamque ex illis tamquam menstruum elicit tinturam, particulas alimentorum crassiores & fermentationis difficiliores blandissimâ suâ sed penetranti constitutione & essentiâ pervadendo comminuit, viscidas incidit, crassas solvit, & verbo dicam pro ventriculo disponit & præparat, hinc os tamquam primum stomachum, salivam vero ut ejus fermentum appellare imo statuere quid abhorreret.

## X I.

Hoc oris fermentum, si ita vocari liceat, præstantius multo & excellenter evadit, & majorum adhuc profecto est virium prout in diversis glandulis secererum genitumque fuerit, eodem plane modo quo videsmus in diversis corporis partibus & glandulis diversum generari humorum, sic æqualiter (minus licet sensibiliter) differre statuo *Saltam* in-glandulis salivalibus majoribus genitam, ab illâ in glandulosâ oris tunicâ secrete: quibus ita se habentibus & mature consideratis nullus negabit diversos hosce liquores salivales jam commixtos & congregidentes celeriorem longe fermentationem alimentorumque pleniorē & perfectiorem incisionem ac digestionem procreaturos fore: exemplo meam illustrabo opinionem, sic cervisia, aqua, panis. lac ejusque serum &c. in unum vas injecta (calida existente tempestate) brevi temporis spatio fermentari ac dissolui, quotidiam docet experientia. Hinc itidem habemus diversa ciborum

## 3 D I S S E R T A T I O M E D I C A

borum genera in unâ cænâ assumpta minime esse quandoque insalubria,  
sed sëpe melius fermentari & ad concoctionem disponi.

## X I I.

Nec hæc de laudabilissimo liquore dicta sufficiunt, verum vel seorsim  
& solum, vel alimentis mixtum, jam deglutitum ac per æsophagum in  
ventriculum ingressum comitemur: ibidem enim non minus ac in ore  
eius præsentia & actio requiritur, crassas scilicet ut alimentorum particu-  
las attenuet, earumque incisionem adaugeat; & diutius inhærendo in ru-  
gosis stomachi plicis, majoresque exinde induendo vites (acida enim sta-  
gnatione magis acescunt) fermentum stomachale acuit, unde ipsum ven-  
triculum ad cibum appetendum disponit & appetitum suscitat, hinc bona  
fit ciborum concoctio & fermentatio, unde post exoptatam & debi-  
tam peractam concoctionem, non nisi bonus & laudabilis exspectandus  
venit chylus: sive totius corporis nostri æconomia a *Saliva* ejusque  
constitutione ut plurimum dependere, unicuique satis præter jam memo-  
rata, probat sequens æternæ veritatis tritum. *Quale fermentum talis chy-  
lus, qualis chylus talis sanguis, qualis sanguis tales humores, quales humo-  
res tales functiones actiones & sanitas.*

## X I I I.

Præfatus jam liquor continuo a Sanguine secernitur, copiosior tamen  
de die quam de nocte illa secretio peragitur, copiosissima autem con-  
sueto tempore mensæ, quo non solum halitus ac vaporis adinstar ex-  
spirat, sed veluti ex spongiolis compressis aqua, ita hic liquor propter  
glandularum pressionem a musculorum circa has partes existentium mo-  
tu ortam cum impetu exiliens, copiosissimo fermento cibos imbuít:  
liquoris hujus copia seu quantitas quamvis difficulter determinari possit,  
amplissimæ tamen atque excellentissimæ facultatis medicæ versatissimi  
constanter affirmant, intra 12. horarum spatiū ad uncias decem imo  
libram integrā in fano & adulto posse generari; & quoniam acidō  
spiritu verum blandissimo tamquam basi hic liquor constet, maximam-  
que cum acidulis habeat convenientiam, non tantum in salis lixivi acri-  
moniâ enervandâ, simulque depellendâ convenit, verum vero in sanguine  
depurando spiritibusque animalibus ab acrimonîa liberandis & corrigendis  
primarium sibi vindicat locum.

## X I V.

Nec solum *Saliva* sanis præbet tantum commodi & emolumenti, ni-  
mirum ut vitam trahant exoptatissimam, id est sanum corporis statum  
conservet & perpetuet sed & ipsis ægrotantibus recuperandæ sanitatis an-  
sam

sam præbet; quatenus scilicet (ut ex urinâ & pulsu morbi variâ eorumque constitutiones cognoscuntur) ita ex *Salivâ* signa petuntur quibus morbus antea in obscuro latitans sæpiissime cognoscitur & in lucem venit; hinc non improbanda ex liquore nostro petita signa, sed decet iæpe variis in morbis linguam, orisque cavum intropicere, ex quibus tamquam lumine meridiano irradiante, medicus veras morborum causas & materiam indagare & rimari possit, sive excogitare medicamenta talia, quibus morbi causa ejusque vis ac radix ex corpore divellatur atque expellatur.

## X V.

Sed quo magis hujus liquoris vis atque commodum pateat, ejusque in corpore nostro utilitatis & necessitudinis radii clareant atque fulgeant: *contraria enim contrariis opposita magis eluceunt*) non immerito *Salivæ* ut inertis aut deficientis symptomata perlustrabimus, hic corpori nostro utilissimus liquor ubi deficit, gravissimus ac molestissimus est affectus, ita ut sine illo nullus terrarum felicem diu ducere queat vitam: aridum enim redditur os, ejusque partes siccitate afficiuntur summâ, unde harum partium motus minus viger, deglutitio impeditur, gustus minuitur, quandoque aboletur, appetitus prosternitur, deficit enim plus minus ve fermentum stomachale, unde concoquendi facultas imminuitur, hinc alimentorum debita non peragitur fermentatio, minorque eorum attenuatio & dissolutio, hinc chylus minus attenuatus sed viscidior, obstrunctiones mesenterii, atrophiam ac universi corporis contabescentiam producit, sanguis vero ut & humores generantur viscidus, unde in visceribus aliisque corporis partibus cachexia, obstructions, sanguinis stagnationes, inflammations, hæmorrhagia, hydrops, aliquæ milleni hujus farinæ morbi ortum trahunt.

## X V I.

Est itaque *Salivâ* liquor seu humor non excrementius sed corpori ejusque functionibus maxime necessarius, utilis atque præstans, hinc exhortor omnes quotquot jam occupat malus mos ac consuetudo salivæ continuo & inconcinnæ expundiæ atque ejiciendæ, quod non solum contra honestatem grave ac deformè delictum, sed quantam corpori noxam ac suæ sanitati detrimentum attrahant, qui naris emunctæ ex jam dictis levi negotio concipere potest, hic quoque de tabaco quædam proferre occasio locique aptitudo exigunt atque impellunt, & quamquam multa hostium millia me circumdantium intuear, per parenthesis tamen & pace vestrâ tabaci amatores, ejusque usui & fumi-

gationi nimis indulgentes, vos inquam sine rubore sanitatis neglectores atque vita sepe extinctores appello: dum ex copioso Salivæ extra corpus ejectione à glandularum irritatione ortâ, ut ait Hypp. ubi est irritatio, ibi est humorum affluxus, nec aptis reparatur auxilis, nutritionis portæ clauduntur, scilicet fermentum ventriculi iners redditum, cibum non in laudabilem chylum sed pastam mutat viscidam, quæ vasorum lacteorum, glandularumque melenterii orificia ac vias obstruendo partibus solidis nutrimentum interdicit, & si quis adhuc percolatur chylus cachexiam aliosque constituit morbos, quod divus senex dicere videtur aph. xvi. Sect. v. calidum, eo frequenter utentibus, has adfert noxas, carnis affeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem; sanguinis eruptiones, animi deliquia; hac, quibus mors.

## X V I I.

Prænobilis hujus liquoris naturaliter insipidi, ac omnibus liquoribus permiscibilis generatio & secretio deficit primo propter materiæ defectum: Secundo si materia salivam constituens intra corpus retenta alio deducatur ut in hydrope: tertio si extra corpus per alias vias excernatur ut in aliis fluxu, urinæ vel sudoris excretione nimia, deficit secundo salivæ secretio viarum vitio perquas ad dictas glandulas requisita defertur materia, ut propter vasorum obstructionem, compressionem aut dissectionem. Læditur tertio illa secretio glandularum culpa, quarum fibræ obstructæ, compressæ aut aeris frigore aliquaque de causa male affectæ, materiæ transcolandæ & immutandæ redduntur ineptæ: sic minori copia in os fluit saliva propter ductuum salivalium aliqualem compressionem aut obstructionem rarissime licet observabilem. Sed in luce meridianâ lucernam accende re nolo, ideoque sicco pede has secretionis lassiones præteribo, ut pote omnibus, qui primis labiis medicæ gustarunt offas, intime cognitas.

## X V I I I.

Sed omissis hisce defectuum speciebus ut magis communibus, ad alias hactenus minus cognitas & magis latentes vestigia nostra dirigamus: deficit itaque Saliva non ob materiam deficientem, verum ratione minimorum sanguinis naturalium seu principiorum: ut enim ex pacifica ac indefinitarum particularum harmonica unione, atque æquali proportione blandaque enervatione, (ita scilicet ut nullæ particulæ fluctuantes aut disjunctæ, nullæque cæteris prædominantur) non solum tranquilla & legitima humorum omnium secretio, verum integerimus erumpit status sanitatis nomine gaudens. Ubi vero debita hæc principiorum mitigatio blan-

blandaque enervatio destruitur, corruit corporis coeconomia, sicque resolutur exactissimum hoc horologium, temperamentum ad justitiam evanescit, sicque principia vinculis ac amplexibus amicissimis soluta (quibus contineri fas est) jugi quodammodo impatientia, absque omni proportione & ordine, tumultuario motu in corpore nostro turbulente circumgyrantur, unde varii morbi & variorum humorum impedita secretio quod ipso Hypp. exprimit lib. de priscâ medicinâ, inest inquit in homine & amarum & salsum, & dulce & acidum & acerbum, sexcentaque alia, que mixta & inter se conjuncta & temperata, neque perspicua sunt, neque hominem ledunt, ubi vero horum quid secretum existerit, atque ipsum in se ipso fuerit, tunc conspicuum est & hominem ledit. &c.

## X I X.

Deficit itaque primo Salivæ secretio propter acidum & maxime austrum, quod particulis suis asperis & hamatis quasi, alias particulas adhuc debite a se invicem disjunctas contrahit, connectit, arctiusque coniungit, sicque ob aciditatem austram sanguinem coagulando, particulas salivam constituentes involuit, atque ita secretionis impedimentum: hinc in pluribus morbis ex acido oriundis, ut scorbuto, melancholia, terrore, febris quibusdam intermittentibus &c. parum & sape nil Salivæ segregatur. Sic clarissimus Sylvius lib. praxeos 1. cap. 55. fol. 325. ubi agit de urinâ, ita loquitur, *ardior humorum unio debetur acido ac preind: succo pancreatico vel lymphæ male affectis &c.* vide quoque articulum seq. & quamvis melancholic dicantur sputatores, illi expuunt propter Salivæ vitium & defectum; & hunc meum hâc in re conceptum probant ulterius atque stabiliunt rusticarum querelæ, quod felicer hyeme summo existente frigore, difficulter secernatur butyrum a lacte, quia acidum austrum auctum particulas butyrosas arcte & firmiter detinet & contrahit. Hujus acidi & austri causam procatarcticam sex rerum nonnaturalium vitium subministrat, ut alimenta acria acida, acidis condita, aer frigidior ac asperior, vigilæ protractæ, tristitia, odium, melancholia ex rebus deperditis contracta, nimius corporis motus, nimiaque humorum excretio &c.

## X X.

Deficit secundo Salivæ secretio ratione salis lixivi volatilis & oleosi, dum particulæ bilem formantes seu qualitate seu quantitate triumphant, unde æstus summus ac nimia sanguinis effervescentia, omniumque humorum vehemens agitatio, hinc eorundem confusio ac motus tumultuosus, quare particulæ gravitatis & levitatis, figura & magnitudinis respe-

## DISSERTATIO MEDICA

12

Et diversam subeunt mutationem & stum, quæque ita mutata & agitata a justa secretionis viâ fistunt atque deflectunt: hinc in febribus calidis & ardentibus summa fœsi manifestat sitis, non quod in corpore deficit salivalis humor seu materia, sed quia ob copiam salis lixivi confundatur, turbulentaque circumgyretur, siveque secerni cessat: & hæc certè erit causa, cur summo existente æstivo calore, butyrum iterum non secernatur a lacte, summi quamvis impenderentur labores: incredulum Lectorem ad æstatem præteritam remittimus, augetur vero hoc sal lixivum: similius alimentorum abusu, sale volatili abundantium, a nimio corporis motu, vigiliis continuatis, ab irâ: summoque aëris æstu & similibus.

## XXI.

Posset tertio Salivæ secretio aliqualiter deficere propter nimiam pituitæ copiam sanguini commixtam, unde sanguis crassior ac viscidior parum effervescens lentissimo circulatur passu (ut ex languidorum & torpidorum pulsu parvo ac tardo tamquam signo novimus) siveque arctissimas glandularum fibras ingredi & permeare incepit. Vel secundo quod talis pituita particulas aquosas scilicet salivales involvat & in sui quodammodo naturam vergat: pituita enim nil nisi viscida materia est, cuius particule ob incepit studinem ad motum aliquatenus coherent. Hinc morbis chronicis a pita ortis detenti, quandoque de oris ariditate, labiorum cuticulam non raro soluente quærelas agunt. Hujus viscositatis causam antecedentem & procatacticam iterum producit vitium in sex rebus non naturalibus commissum, qualia sunt omnia quæ sanguinem & humores reddunt viscidos, ut pisces marini, caro vitulina, animalium extrema, somnus longior, vita sedentaria & curis vacua, aër humidus & nebulosus, aut frigidus, tarda excrementorum excretio & similia. Utrum vero ob plenioram ad vala v. gr. aliasque adhuc ob rationes salivæ secretio deficere queat; hic diutius non disquiram, cum certus partium contentarum numerus ad diversitas, omniaque sanguinis principia nondum satis clarezant.

## XXII.

Ut enim sine praxi inutilis ac fatua judicatur theoria, ideoque operæ pretium duxi, hisce theoretice & speculative propositis, datisque causis tam proximis quam remotis curam subjungere rationalem: verum tamen hæc cura pro causarum diversitate varianda erit: sic ubi ob acidum deficit Salivæ secretio, convenient medicamenta acidum corrigentia & iofringentia. Qualia sunt omnia aromatica, sudorifera & acidum con-

# I N A U G U R A L I S.

13

centrantia, ut sal. vol. corn. ceru. succin. antimon. diaphor. ocul. cancr. exempl. gr.

Rx. *Aq. menth.*

*puleg. ann. 3ij.*

*vit. matthiol. 3j.*

*theriac. 3vj.*

*Antim. diaphor. 3ij.*

*Sal. c. c. 3j.*

*Spir. c. c.*

*sal. armon. ann. gtt. x.*

*Tinct. castor. 3ij.*

*Laud. opiat. gr. ij.*

*Syr. menth. 3j.*

*Misc. cochleatins sumat.*

magnarum quoque hic sunt virium ex radicibus, herbis, & seminibus aromaticis & sale volatili constantibus vina ita dicta medicata: dicta interim bona servetur, abstinendo scilicet ab ulteriori acidorum usu, corporis motu vehementi; melancholia, quin hilaritati & joco potius studendum.

## X X I I I.

Sic acrimonia salina lixiviosa ubi in corpore luxuriat, unde tantus insanguine tumultus, curatur primo acrimoniā Salinam corrigentibus, infringentibus, ut tartar. vitriol. spir. nitr. dulc. aqueis illam diluentibus, sic opiate omnia ut laudan. opiat. diacord. frac. methrid. quæ acrimonia jam correcta extra corpus expellatur per sudorisfera, diuretica, purgantia, per oleosa & viscida ut oleum amygd. dulc. emulsion. ex 4. sem. frig. mai. quibus particulæ turbantes involuntur. sic vinum videmus calidissima aëris tempestate in vasis turbari & confuse agitari, tunc vero cenopolæ gluten aquâ maceratum vasis imponunt, unde vinum evadit clarum ac a motu violento deflectit: & quia formularum myriades exstant apud auctores, tūm quisque ex dictis tales facile formabit, ideoque (exacte observatis diarrhoe regulis, vitando scilicet quævis acria & aromatica) sicco transibimus pede.

## X X I V.

Diximus thes. 21. pituitæ copiâ salivæ secretionem posse deficere, atque tunc incidentibus & attenuantibus aromaticis, acido & sale lixivo fixo & volatili præditis, utendum.

B. 3

Rx. Rad.

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> MEDICA INAUGURALIS.

14 Rx. Rad. galang. min. 3ij.

angelic.

helen. aa. 3*b.*

acori. veri

raphan. rustic. an 3*ij.*

Fol. majoran.

beten.

saltu.

ca'minth. mont. aa. m. 1.

Summit. centaur. min.

absynh. pont.

Flor. amb. aa. p. ij.

cort. citr.

aurant. aa. 3*ij.*

Sem. anis. fanic. aa. 3*ij.*

cinam. acut. 3*ij.*

Incis. & contus. affunde vini generosi metf. ij. deinde sepe de die sumat. haustum. spir. sal. armon. gtt. x. potui ordinario instillatas bis terve de die assumat. purgantia & quidem phlegmagoga hic cum utilitate usurpanatur. Hinc fugienda sunt omnia viscida , difficilisque fermentationis alimenta , quin contra acrum usui plenius indulgendum. Et vitam qui ducunt sedentariam , curisque vacuam , ac diuturnis detensi studiis, hi inquam optime sibi consulerent si cum Socrate saepius saltarent , sed præcavendum ne quid nimis , nam hypp. aphor. 51. §. 2. *omne nimium natura est inimicum.*

Sed ne brevitatis terminos transgrediar, ideoque benevole ac harum rerum intelligens lector dissertationis meæ filum abrumpo , quæ ubi minus elaborata appareret, ingenii mei exitatem intuere: quæque si minus vera arrident, rectiora & veriora docendo me tibi æternis devincere beneficiis. Tibi Vero Deo Ter. Opt. Max. pro benigno tuo auxilio viribus que mihi largitis gratiarum cano laudes : Teque qua possum humilitate rogo ut hæc & ulteriora mea studia (te dante) cedant in nominis tui gloriam , proximi utilitatem & mei ipsius temporalem æternamque salutem.

C O-

# COROLLARIA:

in illis quibus vixit et moriturus erit.

I.

*Spiritus vini somnum auget.*

II.

*Spiritus vini somnum pellit.*

III.

*Vivens non nutritur necessario toto vita tempore.*

IV.

*Qui medice vivit, miserrime vivit.*

V.

*Qui medice vivit, felicissime vivit.*

VI.

*Sal lixivum sitim quandoque extinguit.*

VII.

*Non sine respiratione, sed sine pulmonum motu vivere potest animal.*

F I N I S H

A T T I N H O N O R E M

Nobilissimi, Doctissimi, artisque Medicæ peritissimi

Dni: Dni:

# HENRICI CANTERS.



Laudite Najades, citharam Driadesque parate,  
Ferte mihi Vires, mecum cantetis honores,  
Vos siluisse nefas, vester nam plaudit Apollo,  
Dum cernit Medicum celebrari Laude triumphum  
Præoniam florere artem, numerumque suorum

Augeri: merito præcincti flore nepotem;

Cujus & ingenii Dotes, usumque medendi

Nos jactare licet, si possint Laudibus æquis

Jactari, cui fata Dabunt memorabile nomen

ECHO OMEN? vox quænam repetit modulamine Dicta  
FICTA; Echo duplicat resonando carmina Laudis  
AUDIS; quod nostræ Deerit Musæ; illa rependit  
PENDIT, prompta venit Dominum cantare peritum  
RITUM collaudare sacrum, plaususque ciere.

VERE, doctoris Dando Lætatur honore,

ORE, nec ægris nudis succurrere Verbis

HERBIS, arte potes, vestrâque Coronide gaudent

PLAUENT: jam scandas generose pulpita, palmas

EN ALMAS, Phœbi velentur tempore Lauro,

AURO; te Duce nam fugient contagia fævi

ÆVI, tu coges properantia fata morari,

SOLARI, festines ægris afferre Levamen.

AMEN, magna feret, Debet tibi præmia Numen

LUMEN, quam speras major tibi gloria surget

URGET, quæso Vale, Longævo tempore Vive

VIVE.

*Hicce paxis gratulatur & fratrem suum  
honorare voluit*

ARNOLD. SWINCKELS, S.S. Theol. Cand.